



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

LXXVIII. Declarat modum habendum à Generali in visitando
Congregationem Monachorum del Tardon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

di vendere, permutare, aut de eis, & super eis quolibet alios contractus inire possint auctoritate nostra Apostolica concedas, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, ejusque Monasteriorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis aliis in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 2. Junii 1656. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Dat. P. An. 2.
die 2. Junii.

LXXVIII. Declarat modum habendum à Generali in visitatione Congregationem Monachorum del Tardon.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D.
1658.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus à Jesu Monachus, ac Procurator Generalis Congregationis Reformatæ del Tardon nuncupate in Hispania consistentis Monachorum Ordinis S. Basilii, quod licet per litteras fel. record. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri super institutione, seu approbatione ejusdem Congregationis, die 23. Septembris 1603. expeditas, quæ incipiunt *Alissimi dispositione &c.* caveatur expressè Monachos Congregationis Reformatæ hujusmodi Abbati Generali dicti Ordinis taliter subjacere, ut ipse per se, non verò per alium, nisi fortè ex eadem Congregatione Reformatâ Monachum possit illos tam in capite, quàm in membris visitare, corrigere, & emendare, non verò in aliquo contra reformationem, seu constitutiones ab ipsis faciendas, & à Sede Apostolica approbandas in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, seu innovare, neque Monachos Reformatos à suis Monasteriis alia quacumque de causa auferre, seu alios ab ipsis, & ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare, seu statuere, in quo ipsos possit perturbare, seu quomodolibet inquietare: nihilominus dilectus filius Modernus Abbas Generalis Ordinis prædicti vigore quarundam litterarum rec. me. Innocentii Papæ X. Prædecessoris pariter nostri, etiam in forma Brevis, die 25. Junii 1647. expeditarum, memoratam Congregationem Reformatam cum consilio, & interventu Monachorum assistentium non Reformatorum ejusdem Ordinis visitare, quin etiam ipse Abbas Generalis, & Monachi non Reformati Ordinis hujusmodi Monachos dictæ Congregationis Reformatæ ad expensas pro exhibitione, seu manutentione dictorum Monachorum Assistentium non Reformatorum contri-
buere teneri respectivè prætenderunt & prætendunt. Quare prædictus Franciscus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 1. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis à jure, vel ab homine quavis oc-

Absolvit oratorem à censuris.

casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem Cardinales maturè discussa, quoad visitationem servandas esse litteras prædicti Clementis Prædecessoris in forma Brevis expeditas, ut scilicet fieri debeat per ipsummet Abbatem Generalem, & eo impedimento per alium ex Congregatione del Tardon auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus.

§. 2. Quoad contributionem autem pro Assistentibus, & eorum interventu in visitatione cum Abbate Generali litteras memorati Innocentii Prædecessoris non comprehendere dictam Congregationem, seu Provinciam del Tardon, ac proinde Assistentes non posse intervenire in dicta visitatione, nec dictam Provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dictis Assistentibus. Quo verò ad accessum ad Capitulum Generale licere Monachis del Tardon mittere eos tantum quos permittunt litteræ in simili forma Brevis ejusdem Innocentii Prædecessoris, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, salvâ semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstant præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliis in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Febr. 1658. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

Dat. P. An. 7.
die 11. Febr.

Quod Generalis Congregationis Monachorum del Tardon Ordinis sancti Basilii Magni visitet Congregationem eo modo quo disponunt Brevia novissima Urban. VIII. & Innoc. X.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Francisci à Jesu Procuratoris Generalis Congregationis, seu Provinciæ del Tardon nuncupate Monachorum Reformatorum Ordinis S. Basilii Magni in Hispania Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositis exposito, quod fel. rec. Clementis Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 23. Septembris 1603. expeditas litteras inter alia decreverit, eosdem Mo-

LXXIX.

Edita A. D.
1659.

Supplicatio.

nachos